

unde et appellatur ab Apostolo Ecclesia: *Firmamentum et columna veritatis*, ad Timoth. iii. Unde intelligentia ejus Spiritu firmissimo procedit, quia est Spiritus Dei. Sed instat Lutherus: Nam unusquisque debet reddere rationem fidei suæ ante Deum; ergo ad unumquemque pertinet approbare eam fidem pro qua ipse reddere debet rationem, juxta regulam juris Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, regula xix de regulis juris in sexto. Respondetur unumquemque debere reddere rationem de fide sua quantum ad rectitudinem fidei, quam tenuit et impletionem præceptorum de fide, sicut debet reddere rationem de omnibus aliis, quæ gessit in hac vita; non tamen debet reddere rationem de determinatione, et judicio circa res fidei, quia hoc non pertinet ad unumquemque hominem: sicut debet reddere rationem de impletione omnium præceptorum, non tamen ad ipsum pertinet determinare, et statuere ista præcepta, quia non de statuendis præceptis, sed de obedientia illorum pertinet ad ipsum. Regula autem juris impertinenter adducitur: Quod enim omnes tangit debet ab omnibus approbari, quos tangit de jure, non de facto, id est, qui habent jus circa rem aliquam, omnes ad quos tale jus pertinet debent illam approbare, seu determinare; qui vero non habent jus circa rem aliquam constituendam, aut determinandam, sed potius jure aliorum subduntur, non pertinet ad ipsos approbare id quod tangit eos tamquam subditos, verbi gratia ad electionem Ecclesiæ vacantis debent omnes convenire, qui habent eligendi, ut dicitur in capite Quarto propter de electione, quia ipsos tangit de jure; ad eos autem quos tangit tamquam subditos gubernatio Ecclesiæ, et ipse qui eligendus est non pertinet electio, quia tangit

eos quasi in effectu, non quasi in jure, alias quia gubernatio, et leges principis tangunt subditos deberent a subditis approbari, et determinari ut essent validæ, quod est absurdum. Sic fides tangit omnes quatenus omnes illam debent habere, non tamen ab omnibus debet determinari, et judicari, quia ad hoc non habent jus, et auctoritatem.

XXXVII. Septimo arguitur: Ex pluribus auctoritatibus Scripturæ, quibus significatur pertinere judicium de doctrina ad cujuscumque spiritum, non autem ad unius supremi capitis auctoritatem. In primis enim dicitur i Joan. ii: *Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium.* Per unctionem autem intelligitur invisibilis virtus Spiritus sancti, ut explicat D. Augustinus tractatu iii, in epistola Joannis et ibidem hanc ipsam proponens quæstionem S. Augustini: « Si unctio inquit docet vos de omnibus, quid nos facimus fratres, quia docemus vos? » Subdit ad quæstionis solutionem: « Nolite putare quemquam hominem aliquid discere ab homine, admonere possumus per strepitum vocis nostræ, si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster. » Igitur regula eorum, quæ docentur non ad cathedram docentis hominis, sed ad unctionem loquentis Spiritus debet reduci. Item D. Paulus ii ad Corinthios ultimo: *Vosmetipsos*, inquit, *tentate si estis in fide, ipsi vos probate*: ergo probatio fidei pertinet ad uniuscujusque judicium, non ad judicium papæ. Et similiter ad Romanos viii: *Ipsè Spiritus reddit testimonium spiritui nostro quod filii Dei sumus*; ergo a fortiori testimonium reddit de fide quam habemus. Unde et generaliter ad judicanda ea quæ nobis a Deo donantur ponitur testimonium Spiritus i ad Corinth. ii:

Nos autem non accepimus spiritum hujus mundi, sed Spiritum qui ex Deo est ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis. Recurrendum est ergo ad Spiritum Dei, quem in nobis recipimus, non ad auctoritatem alicujus proponentis. Item i ad Corinth. ii: *Spiritualis omnia judicat, et ipse a nomine judicatur*, ergo spirituales viri, seu recipientes spiritum non habent necesse ad aliquem recurrere qui judicet, et determinet eis causas fidei, sed ipsi judicare possunt.

XXXVIII. Hinc est quod Actorum xvii laudatur Berecenses eo quod scrutabantur Scripturas an ita se haberent, quæ Paulus prædicabat, et tamen non est dubium quod Paulus proponebat eis fidem, eo modo, et ea auctoritate, qua summus pontifex potest proponere; ergo ultra illam propositionem necesse est quod unusquisque secundum suum spiritum per Scripturarum præsertim inquisitionem judicet an res ita se habeat sicut proponitur. Est ergo jam insigne testimonium Jeremiæ xxxi, ubi dicitur: *Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel: Post dies illos dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et non docebit ultra vir proximum suum dicens: Cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum.* Hoc autem testimonium intelligi de tempore legis gratiæ constat ex Apostolo ad Hebræos viii, ubi expresse illud explicat de novo testamento, per quod antiquum excluditur; ergo in hoc tempore non debemus recurrere ad aliquem qui doceat, et determinet nobis ea, quæ cognoscenda sunt de Deo, sed ad legem, et spiritum, qui in corde scribitur a Deo. Omitto alia loca, quæ minus difficultatis habent, ut quod Deus debeat coli in spiritu, eos qui adorant eum in spiritu, et

veritate oportet adorare, Joann. iv, et i Petri ii: *Superædificamini domus spirituales, etc.* ubi indicatur ædificium Ecclesiæ non ad visibilibus auctoritatem, sed ad spiritualem pertinere; et denique quia fides est de non visis, ergo non debet credere unum caput visibile, nec ab eo determinari, et proponi ipsæ res fidei. De quibus argumentis videatur Bagnez in præsentia.

XXXIX. Respondetur loca illa Scripturæ non ostendere quod determinatio credendorum, et rerum fidei pertinet ad cujuscumque spiritum, sed vel loquuntur de privato judicio tractandi res fidei, non de auctoritativo; vel loquuntur de spiritu Dei, quo illuminat in nobis fidem, et habitum infundit, ac dona Spiritus sancti, non de eo quod pertinet ad proponendas, et determinandas res fidei. Unde illum locum Joannis: *Unctio docet vos de omnibus*, recte intelligit S. Thomas in hac secunda secundæ, quæst. viii, art. iv ad primum, de instructione, quæ fit in nobis a Deo per dona Spiritus sancti, præsertim per donum intellectus, quo ex inhabitatione Spiritus sancti discernit homo credenda a non credendis: ista autem instructio per donum Spiritus sancti quod est commune omnibus habentibus gratiam, ut distinguamus ab ea quæ sit secundum inspirationem; sicut et prophetica illuminatio, non fit independenter ab exteriori proponente, quia: *Fides ex auditu*, ut ait Apostolus, et consequenter ab exteriori regulante, et determinante ea quæ fidei sunt auctoritative. Item D. Thomas super hunc locum Joannis cum Hugone, et glossa intelligunt illam particulam: Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, comparative, non absolute, id est, minus indigetis exteriori doctrina, quia unctio, seu interior illuminatio docet vos. Clarum est enim quod

ille, qui docetur intus a Spiritu sancto minus indiget exteriori doctrina, non tamen est omnino independens ab illa, quia fides ex auditu, licet Deus possit extraordinarie etiam sine auditu homini tradere res fidei. Unde notavit bene Cajetanus super hunc locum Joannis, quod ordo litterarum, et contextus loquitur de hominibus jam scientibus res fidei, qui non habent necesse doceri exterius, sed solum interiori spiritu dirigi ne errent in his quæ didicerunt.

XL. Denique Augustinus in illo loco, scilicet tractatu tertio in epistolam Joannis optime explicat Joannem non excludere ibi magisterium exterius non solum auctoritativum, sed etiam particulare, sed solum judicare unde magisterium hoc sortiatur virtutem, et effectum suum, scilicet ex Spiritu, qui intus operatur. Verba Augustini sunt: « Tu dixisti quia unctio ipsius docet vos de omnibus ut quid talem epistolam fecisti, quid illos tu docebas, quid instruebas, quid ædificabas? Jam hic videte magnum sacramentum fratres, sonus verborum nostrorum aures percutit, magister intus est: » et infra: « Magisteria forinsecus adjutoria quædam sunt, et admonitiones; cathedram in cælo habeo, qui corda docet, etc. » Sicut ergo ex loco Joannis non vincitur tollenda esse magisteria particularia, quibus homines docentur, sic neque magisterium auctoritativum quo judicantur, et determinantur ea quæ credenda sunt. Ad illum locum Pauli: *Vosmetipsos tentate si estis in fide*, in primis Chrysostomus homilia xxix in secundam epistolam ad Corinthios intelligit hic Paulum loqui de fide miraculorum, quæ est una ex gratiis gratis datis, de qua Paulus I ad Corinth. xii: *Alii datur sermo scientiæ, alii fides in eodem Spiritu*, fides

scilicet agendorum, non credendorum ait Cajetanus ibidem: sed etiam si intelligatur Paulus de fide data ad credendum, sicut explicat D. Thomas II ad Corinthios ultimo, lectione secunda, sensus planus est, quod homines debent examinare suam conscientiam an recte credant, et in vera fide perseverent, sicut etiam examinatur conscientia de operibus bonis an bene unusquisque operetur: non autem loquitur hic Apostolus de examine, et judicio determinativo dubiorum circa fidem, unde pari modo loquitur Apostolus de examine fidei dicendo: *Vos tentate si estis in fide*, et de examine operum dicendo: *Ipsi vos probate*, ut ibi advertit D. Thomas. Loquitur ergo de examine, quo discutitur conscientia, non quo fidei dubia resolvuntur.

XLI. Similiter in alio loco primi ad Corinthios II, ubi dicitur: *Spiritum qui ex Deo est accepimus, ut sciamus quæ a Deo donata sunt vobis*, loquitur Paulus de ipsis Apostolis, quibus dedit Deus Spiritum ad habendam specialem notitiam certam de donis Dei sibi collatis, ut interpretatur Cajetanus in præsentia, et favet D. Thomas in expositione hujus loci, idque postulat ipse ordo litterarum, illa enim particula: *Nos accepimus, etc.* ad ipsos Apostolos dirigi videtur. Sed quidquid sit de hoc, adhuc intelligendo verbum Apostoli de Spiritu communi omnibus fidelibus dicimus, quod sensus est planus, quia ex Spiritu divino, seu ordinis divini, et supernaturalis ut distinguitur a spiritu mundi, seu ordinis naturalis cognoscimus ea quæ donata sunt nobis, id est, bona seu objecta supernaturalia, quæ proprie Dei sunt. Quis enim dubitat quod res supernaturales, et quæ a Deo supernaturaliter donata sunt, non nisi per supernaturalem cognitionem, et ordinis divini co-

gnoscimus? Inde autem inferri non potest quod ad habendam hanc cognitionem non requiratur exterior propositio, et exterior confirmatio, ac determinatio in his quæ pertinent ad objecta fidei, et implicite in Scriptura continentur.

XLII. Ad illum locum Pauli: *Spiritualis judicat omnia, etc.* D. Thomas I ad Corinth. II lect. III et hac secunda secundæ, *quæst. XLV, art. I*, intelligit loqui ibi Paulum de judicio quod habetur de rebus divinis per donum sapientiæ, ex eo enim quod homo redditur spiritualis per inhabitantem Spiritum sanctum recte judicat de omnibus pertinentibus ad salutem, neque ipse in hoc judicio habendo judicatur, id est, condemnatur ab aliis, quia rectum est, hoc autem judicium, quo homines judicant per dona Spiritus sancti de rebus pertinentibus ad salutem non excludit judicium Ecclesiæ auctoritativum ad proponendum, et determinandum ea quæ tenenda sunt, quia etsi ex Spiritu sancto in unoquoque nascatur rectitudo iudicii in ordine ad se, et ad suam salutem, non tamen in unoquoque nascitur omnium credendorum determinatio etiam ad docendum, et proponendum aliis, præsertim auctoritative, et ideo judicium viri spiritualis non tollit judicium auctoritatis spiritualis. Chrysostomus super hunc locum homil. VII in primum ad Corinthios illud verbum judicat omnia, intelligit pro eo quod est reprehendit, arguit, seu despiciat omnia, scilicet quæ in hoc mundo sunt, et hoc quia spiritualis est. Contraponit Apostolus hominem spiritualement homini animali, qui solum attendit ad ea quæ sunt in mundo et in vita animali, et iste non judicat, id est, arguit omnia; spiritualis vero judicat. Quare ex hoc loco Apostoli nihil habetur contra nos.

XLIII. Ad illud quod dicitur Acto-

rum XVII de Bereensibus recte observavit Cajetanus super Acta illos dum scrutarentur Scripturas adhuc non suscepisse fidem, sed cum aliqua dubitatione circa Pauli prædicationem tenerentur, voluisse inquirere in Scripturis an illa quæ Paulus dicebat conformia essent doctrinæ Scripturarum, in ejus signum post illa verba scrutabantur Scripturas, etc. subdit textus: *Et multis crediderunt ex eis*. Non ergo adhuc credebant quando scrutabantur Scripturas, sed quasi in disputatione, et persuasione circa Pauli doctrinam versabantur, et ideo Paulus solum se habebat ad illos ut prædicator annuntians fidem his, qui eam ignorabant, non ut definiens his, qui jam susceperunt illam, et ideo licebat ipsis scrutari Scripturas non ut determinarent res fidei, sed ut congruitatem, et convenientiam fidei novi testamenti cum veteri testamento viderent, et inde convincerentur, sicut Christus dixit Judæis Joann. V: *Scrutamini Scripturas, et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*.

XLIV. Denique ad ultimum locum qui affertur ex capite xxxi Jeremiæ, et intelligitur ab Apostolo de novo testamento respondetur, quod ut advertit optime D. Thomas ad Hebræos VIII, lect. III, et Cajetanus super idem caput VIII ad Hebræos, in illis verbis non solum agitur de ipso novo testamento quod quantum ad gratiam, quam confert scribitur in corde, sed etiam de effectibus novi testamenti quorum unus est quod: *Non docebit vir proximum suum, dicens: Cognosces Dominum*, qui effectus plene, et quantum ad omnes homines erit in alia vita, in qua ad cognoscendum Deum, unus non docebit alium, sed solus Deus dabit lumen gloriæ, et seipsum manifestabit omnibus, in hac enim vita constat dari doctores, et pastores

ad docendam doctrinam de Deo, sicut designat Apostolus ad Ephes. iv: *Alios dedit pastores, et doctores, etc.* Quoad aliquos autem homines etiam in hac vita datur iste effectus, ut non doceantur nisi a Deo immediate, scilicet Apostolis, qui fuerunt primi fundatores novi testamenti, et immediate fuerunt a Deo instructi, ut ait S. Thomas ibidem. Reliqui autem ab ipsis, et ab eorum successoribus instruuntur, vel per se, vel per suos ministros.

ARTICULUS II.

Utrum hæc potestas proponendi, et determinandi res fidei alicui determinatæ personæ concessa sit a Christo Domino?

I. Determinavimus in præcedenti articulo debere in Ecclesia esse aliquam potestatem, seu auctoritatem ad explicandas, proponendas, et determinandas res fidei, ita quod non possunt ista dijudicari, et resolvi in proprium cuiusque spiritum: nunc restat indagare quænam sit ista regula, seu potestas determinativa rerum fidei, et in quo subjecto inveniatur. Cum autem agamus in præsentem de regula exteriori, et visibili, per quam dirigamur in proponendis rebus fidei, considerare possumus, et discurrere circa regulas exteriores, in quibus continetur infallibilis auctoritas fidei. Sunt autem quatuor regulæ exteriores, duæ inanimatæ, duæ animatæ, seu vivæ. Inanimatæ sunt sacra Scriptura, et traditiones apostolicæ, istæ enim non explicant sensum, sed explicandum præbent: et ad Scripturam reducit quæcumque prophetia facta a diversis hominibus. Regulæ utro animatæ sunt Concilium, et papa, id est, aut congregatio, seu multi-

tudo prælatorum Ecclesiæ, quæ repræsentative, et auctoritative est tota Ecclesia, aut unus singularis prælatus, qui habeat potestatem super omnes, ipsa autem Ecclesia integre accepta includit tam prælatos, et subditos, quam supremum caput, et ideo non distinguitur ab his duabus regulis. Et ad istos reducit auctoritas hominum privatorum, qui per miracula, et vitæ sanctitatem, aut martyrium comprobant veritatem fidei, et illi testimonium reddunt, an illi possint etiam esse regula fidei. Alia autem sunt quæ magis dici possunt loci theologici ex quibus scilicet argumenta promuntur ad confirmandas, vel defendendas res fidei, quam regula ipsius fidei, sicut est consensus patrum, aut scholasticorum, rationes humanæ, auctoritates philosophorum, aut historiarum; ista enim omnia per se non faciunt rem de fide, sed supponunt, nam etiam consensus patrum si non sit consensus asserens rem esse de fide, non facit illam de fide: si autem asserat rem esse de fide ex aliqua regula supponitur de fide esse, et ipsi patres serviunt ut testes hujus determinationis de fide, aut apostolicæ traditionis. Quapropter negare ea quæ communiter patres dicunt erit temerarium, aut etiam fractio præcepti ecclesiastici, sed non hæreticum, nisi aliunde habeat esse de fide. Et sic Concilium Tridentinum sessione iv, solum per modum præcepti decernit ut contra unanimum consensum patrum nullus Scripturam audeat interpretari. Igitur in præsentem articulo tractabimus de primis duabus regulis: in sequentibus vero de aliis duabus.

II. Ut autem punctus difficultatis præsentis circa regulas inanimatas aperiatur, supponendum est dari aliquam Scripturam divinitus inspiratam, et Dei auctoritate conscriptam, seu dictatam. Quæ veritas

apud nullum Christianum probanda est, cum sit primum principium in nostra fide. Apud paganos autem, qui Scripturas non recipiunt hæc veritas aliunde probatur, scilicet ex consensu tot, tantorumque librorum sacrorum a diversis auctoribus editorum. Quo argumento utitur Augustinus xviii de civitate, capite xli, cum in aliis auctoribus, quando propria sua proferunt vix consensus in uno inveniatur; similiter etiam ex ipsa ratione prophetiæ, quæ tam frequens est in ipsa Scriptura; prædictio enim futurorum divinæ auctoritatis proprium est, unde dicitur Isaiæ xli: *Annuntiate nobis quæ ventura sunt, et dicemus quia dii estis vos.* Et apud omnes gentes hoc fuit receptissimum vehi a quibus oracula futurorum exposcerentur deos esse existimarent. In Scriptura autem divina nihil frequentius invenitur quam prophetiæ, et quod vera prophetia sit, ex infallibili impletione comprobatur juxta quod Dominus in evangelio dicit: *Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt* Lucæ xxii: et iterum Deuteronomii xviii ponitur signum ad cognoscendum an prophetia sit vera scilicet: *Si ita evenit sicut propheta prædixit.* Illa ergo Scriptura, quæ prædictionem futurorum continet cum infallibili impletionem tamquam divinæ auctoritatis Scriptura habenda est. Unde dixit optime Augustinus xviii de civitate capite, xl: « Cui narranti melius præterita credimus, quam qui etiam futura prædixerit, quæ præsentire tam videmus. » Supposita ergo divina, et infallibili Scripturæ auctoritate relinquimus modo omnes illas quæstiones de libris, qui vere, et sine dubio canonici sint, de translationibus Scripturæ et ejus sensibus, et an aliquid in Scriptura corruptum sit, aut depravatam, de his infra tractando de auctoritate

papæ supra declarationem Scripturarum agendum erit. Illud solum in præsentem inquirimus an in Scriptura sacra ita contineantur ea quæ auctoritate divina revelata sunt, ut etiam contineatur decisio omnium controversiarum pertinentium ad fidem, ita quod sicut iudex scripto suo definit, et determinat controversias in litibus, sic Deus qui est supremus iudex controversiarum de fide, non solum in Scriptura tradat ea quæ nos credimus tamquam res revelatas, et a Deo dictas simpliciter, sed ea quæ sunt determinativa quæstionum, et dubiorum circa fidem, atque adeo non indigeamus iudice humano, qui nobis res illas determinet, sed solum inspicere ea quæ Scriptura tradit ut a Deo definita, et sic sit regula determinandi dubia, et non solum exhibendi res fidei.

III. In hac controversia recentiores quidam hæretici partem affirmativam mordicus defensarunt in colloquio Ratisbonensi habito anno 1610, eamque variis auctoritatibus, et rationibus confirmare conati sunt, quæ parum momenti habent. Possunt autem in duplici sensu procedere. Uno modo asserendo quod Scriptura sola continet in se iudicium, et determinationem omnium quæstionum de fide, ita ut ly sola excludat et traditiones apostolicas, seu verbum non scriptum, et definitiones Ecclesiæ: alio modo asserendo quod Scriptura simul cum traditionibus, id est, Verbum Dei scriptum, et traditum sufficienter contineant determinationem circa res fidei, et ita solum excludant regulam vivam, quæ in definitionibus Ecclesiæ continetur. Et licet ipsi videantur in primo sensu procedere, in quo pejus errant non admittendo traditiones Ecclesiæ, tamen etiam in secundo error eorum refellendus est, et argumentis quæ proferunt respondendum.